





*Augustissimo, Illustrissimo, et Serenissimo* MONARCHÆ,

# CAROLO SECUNDO

DEI GRATIA MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ & HIBERNIÆ REGI, FIDEI DEFENSORI, &c.
COLLEGII REGII UNIVERSITATIS ABERDONENSIS PATRONO MAGNIFICENTISSIMO.

S. P. D. C.

*DUM omnium ordinum subditi tui (MONARCHA INVICTISSIME) de reditu & adventu hoc fœlicissimo variis sua gaudia modis testari certant æmuli, adeo omnem implevere paginam, ut nihil nobis hujus TUÆ REGIÆ ACADEMIÆ alumnis reliquum fecerint. Cogimur itaque, (apage cogimur,) imo jucundissimam necessitatem læti amplectimur, grato et spontaneo animo, cum Philosophi Socratis discipulo illo egeno, quod nobis tantum superest, nosmetipsos, et omnia quæ nostra sunt, quod sumus quod possumus MAJESTATI offerimus VESTRÆ, quantum hujus scedulæ exiguitas patitur, ingennè testamur et profitemur nos in TE, per TE, a TE, et de TE, unico et solo tanquam capite tenere et pendere: TIBI tanquam SUCCESSORI et HÆREDI indubitato prædecessorum tuorum SCOTIÆ REGUM, omniaque nobis grata et chara sunt, nostra mœnia, nostra munia, beneficia officia debemus, cuncta TIBI et illis accepta referimus. MAGNIFICENTISSIME PATRONE et REGIE PARENS, hæc nostra juvenilia sereno et placido vultu, accipere digneris, quæ etsi nihil præter candorem, humilitatem et simplicitatem sapiant si tamen deessent et nos taceremus pueri, proculdubio tigna et lapides hujus tui Athenæi erumperent. Verum si SACRÆ VESTRÆ MAJESTATI visum fuerit, aut per otium licuerit paululum intueri aliorum quorundam, ex hoc etiam COLLEGIO TUO, affectûs sinceros, in concionibus sacris, et publicis theatris expressos, speramus quod nostræ tenuitati deest, abunde compensatum iri; licet et illa sint Cirrhâ procul et Parmesside Lymphâ, pene sub Arctoi sydere nata poli; nec TE digna satis, nec satis apta TIBI Angustiis hisce inclusi, nunc penitus inviti cogimur aspectu S. D. N. nos subtrahere, et ad pugnam Philosophicam, sub tuis sacris auspiciis, nos accingere. Omnipotens Deus, Rex regum, et Dominus dominantiũ, qui regit ætherei radiantia sydera Cœli, S. V. MAJESTATEM incolumem, ter et amplius fœlicem, necnon et magno majorem Carolo præstet, thronum vestrum justitiâ et æquitate stabiliat, et diu ac fœliciter nobis nostrisque posteris præesse velit, et natorum natos per omnia labentia secula, lucida volventur nitido dum sydera Cœlo, et post Sceptra terrestria immarcescibilem V. MAJESTATI coronam largiatur.* Hæc supplices orant.

S. V. MAJESTATIS

humillimi servi, et omnibus mancipii vinculis devotissimi clientes ac oratores.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| D. Robertus Gordonus. | Gulielmus Dalgardinaus. | Gulielmus Robertsonus. | Joannes Forbesius. | Robertus Martinus. |
| Alexander Urqhartus, | Gulielmus Davidsonus. | Gulielmus Torraus. | Joannes Mackraius. | Robertus Robertsonus. |
| Andreas Dalgardinaus. | Gulielmus Joassaus. | Jacobus Abelus. | Joannes Wakerus | Robertus Strachanus. |
| Georgius Ruddachus. | Gulielmus Mackfinnanus. | Jacobus Stuartus | Patricius Turnebullus. | Robertus Tarresius. |